

justitia ut iteratio fiat, ne magno bono privetur subjectum, potissimum si de sacramento non iterabili agitur. Sed facilius continget ut, spectatis ex una parte quantitate dubii et bono quo subjectum forsitan privatim existat, ex altera parte incommodo quod ministro iteranti subeundum sit aut vulgi admiratione vel scandalo, quod ex iteratione timendum sit, prudenter judicetur iterationem non esse obligatoriam vel etiam non expedire.

Tandem adverte fieri posse, etiam in sacramento maxime necessario, ut liceat quidem, minime vero oporteat ritum sacramentalem iterare. Exemplo sit qui, in ordinatione sacerdotali, calicem et patenam teligisset tantum *immediate post* formam ab episcopo prolatam. Quamvis nulla solida ratio sit existimandi hunc invalide fuisse ordinatum, cum sufficiat moralis unio inter materiam et formam (n. 109), posset tamen ordinatio sub conditione iterari ob extrinsecam auctoritatem quorundam veterum AA. physicam simultatem requirentium, praesertim si subjectum hujus ordinationis hoc dubio in se levissimo plurimum angeatur. (Lugo, Resp. Mor. l. 11. dub. 33)

#### § 4. DE OBLIGATIONE MINISTRANDI SACRAMENTA.

**119. I.** Qui ex officio curam animarum exercet tenetur ex justitia subditis suis rationabiliter petentibus ministrare sacramenta. Ad hoc enim se obligavit dum munus pastoris assumpsit; insuper intercedit contractus, vi cujus accipit stipendium, vel sustentationem, vel saltem honorem a subditis, sub onere praestandi ea quae sunt pastoris: inter quae reperitur administratio sacramentorum. Sic e justitia obligantur, relate ad saeculares subditos, episcopi, parochi et qui cum ipsis curam subsidiariam ex obligatione habent, quales sunt coadjutores parochorum; relate ad Regulares, praelati proprii. (La Croix, l. 6. p. 1. n. 133: S. Alph. n. 58)

Peccatum grave contra hanc obligationem suam duplici ratione admittere potest qui curam animarum ex officio suscepit: primum, si sacramentum denegat subdito qui in gravi necessitate spirituali versetur, vel qui ex illa denegatione grave detrimentum passurus videatur; deinde, si, per modum consuetudinis, sacramenta subditis rationabiliter petentibus denegat, vel in iis concedendis se adeo morosum praebeat ut probabile sit grave damnum spirituale inde oriturum esse uni vel pluribus eorum, ex, gr. parochianos jam multo rarius ad sacramenta accessuros esse eo quod parochus paucis tantum diebus vel horis, populo incommodis, confessiones audire vel S. Communionem distribuere velit. Denegationi aequiparabitur nimia cunctatio, si ex ea periculum notabilis damni timendum sit, ex, gr. si parochus valde tardum se prae-

beat in adeundis aegrotis periclitantibus, ut eorum confessionem excipiat et Viaticum ministret.

Leviter iidem peccant, si extra praefata adjuncta semel vel raro sacramenta denegant subdito rationabiliter petenti. Quandonam autem censendus sit rationabiliter petere, ex Ecclesiae legibus et locorum consuetudinibus dijudicandum est. Ab omni vero culpa immunes essent qui denegarent irrationabiliter petenti, puta scrupuloso volenti cotidie confiteri. Manifestum quoque est eos, quoad fideles non subditos, in eadem conditione reperiri ac si curam non exercerent ex officio.

Quodsi sacramenta ministrare nequeant sine propriae vitae periculo, iidem tenentur ea ministrare suis in gravi vel extrema necessitate positus. In iis tamen adjunctis non tenentur in rigore conferre alia sacramenta quam baptismum et poenitentiam. In hunc sensum respondit S. C. C. 12 Oct. 1576, probante Gregorio XIII: "Parochum suis parochianis peste laborantibus teneri ministrare dumtaxat duo sacramenta ad salutem necessaria, nempe baptismum et poenitentiam, „ Sufficit etiam ut parochus ea per alium conferat, quamvis a paroecia, ob luem grassantem, discedere minime liceat, ut patet ex alio responso S. C. C. 6 Dec. 1576 (S. Alph. l. 6. n. 233). Decet autem quam maxime ut moribundis etiam Viaticum et extrema unctio tribuantur.

**120. II.** Qui curam animarum non exercent ex officio, puta missionarii, sacramenta tantum *ex caritate* ministrare tenentur, vid. quando e lege generali caritatis tenentur succurrere proximo in spirituali necessitate posito (Vol. I. n. 217). Ergo sub gravi tenentur sacramenta ministrare ei qui in gravi necessitate versatur, modo id absque gravi incommodo suo possint, puta moribundi confessionem excipere, deficiente alio sacerdote qui id facere possit et velit.

In extrema autem vel quasi-extrema necessitate proximi (Vol. I. n. 217), tenentur etiam cum periculo vitae ministrare sacramenta baptismi vel poenitentiae. Haec tamen obligatio non exsurget, nisi constent haec tria: 1. Spem juvandi saltem aequae certam esse ac periculum subeundum. 2. Proximum non habere alium a quo sublevetur. 3. Eum morali certitudine damnatum iri nisi a te sublevetur.

#### § 5. DE OBLIGATIONE DENEGANDI SACRAMENTA INDIGNIS.

**121. I.** Minister sacramentorum per se et regulariter sub gravi tenetur ad ea non ministranda indignis.

Dicitur: *per se et regulariter*, ut abstrahatur a sacramento matrimonii in quo peculiaris est condicio ministri (n. 462), et ut indicetur quando-



que adesse rationes ob quas sacramenta indignis denegari nequeant. *Indignus* intellegitur qui recepturus sit verum sacramentum, non autem gratiam sacramenti : nam incapaci ministrare sacramentum intrinsece malum est ob injuriam auctori sacramentorum illatam.

Ratio est, dispensatorem sacramentorum ex ipso munere suo teneri ad ea fideliter et juxta eorum exigentiam dispensanda. Exigunt autem sacramenta ne fraudentur effectu suo, atque ideo ne suscipiantur ab iis qui non possint consequi gratiam sacramentalem. Id ipse Christus commendavit (Matth. VII, 6) : " Nolite dare sanctum canibus. " (Lugo, de Sac. in gen. disp. 8. n. 162 seqq.)

Minister autem, ut licite administret sacramenta, non debet, tamquam judex (excepta poenitentia,) *inquirere* de bona dispositione suscepturi : hoc enim a sensu christiano prorsus alienum esset. Sufficit ergo ut prudenter credat recipientem esse dignum, seu ut ei non constet de indignitate petentis. Hic enim merito applicatur effatum : quisque praesumitur bonus, nisi malus certo probetur. (S. Alph. n. 43) Plura tamen sacramenta postulant ut de quibusdam condicionibus determinatis subjecti, puta de dispositione et scientia adulti baptizandi, de scientia et probitate ordinandi, etc., inquiratur. Regulae hic positae praesertim de S. Communionem danda vel neganda procedunt.

Quandoque licite conferri sacramenta indignis, ex eo patet quod saepe ex eorum denegatione gravissima mala oriri possint. Jamvero ad talia mala vitanda licet quandoque cooperari materialiter ad actionem malam. (Vol. I. n. 235) Immo qui sacramenta ministrat indignis, proprie loquendo non cooperatur ex se ad actionem malam : quidquid enim facit minister in se bonum est, neque ex eo necessario sequitur peccatum suscipientis, qui posset bene suscipere sacramenta quae male suscipit. (Lugo, l. c. n. 181)

**122. II.** Sacramenta deneganda sunt **peccatori publico**, seu occulte, seu publice eadem petit. Id manifeste ex Asserto I sequitur.

*Publici peccatores* censendi sunt quorum gravia peccata constant, vel per sententiam judicis, vel per evidentiam facinoris in loco publico commissi aut per famam jam ad multos delati. (S. Alph. n. 44; Bened. XIV, de Syn. l. 7. c. 11. n. 8) Neque obstat, crimen aliquibus ex praesentibus esse occultum. Cfr. Vol. I. n. 421.

Probabilius vero non est negandum sacramentum peccatori, cujus peccatum nondum est simpliciter publicum, sed plerisque e praesentibus, non autem omnibus notum : is enim possidet adhuc famam suam relate ad omnes qui crimen ejus ignorant. (S. Alph. n. 45) Idem per se probabilius tenendum, ubi sacramentum petit peccator in loco ubi ejus crimen publicum non est, quamvis alibi publicum sit : nam, si dene-

garetur sacramentum in iis adjunctis, orirentur eadem incommoda communia ad quae vitanda licet sacramentum ministrare peccatori occulto publice petenti. Sed excipiendi sunt casus in quibus minister prudenter timere debet ne e concessio sacramento oriatur scandalum fidelium, puta si brevi ad hunc locum notitia hujus criminis perventura praevideatur. (S. Alph. n. 46)

Neque licet sacramentum ministrare peccatori publico de cujus emendatione nondum publice constet : id enim scandalum fidelibus gigneret. Ideo jubet Rit. Rom. (tit. IV. c. 1. de SS. Euch. Sac.) : " Arcendi sunt publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti manifesteque infames, ut meretrices, concubinari, faeneratores, magi, sortilegi, blasphemi et alii ejus generis peccatores, nisi de eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint. " Has tamen Ritualis Romani praescriptiones paululum emollivit, saltem in plerisque locis, hodierna consuetudo. (Berardi, de Occas. n. 153) Itaque, nisi alicubi strictior vigeat praxis, hodie habituati in peccatis publicis sine externa occasione, puta publici blasphematores, aestimandi sunt sufficienter satisfecisse ubi publice confessi sunt ; immo talis confessio saepe e circumstantiis praesumi potest et debet, ubi peccator ad S. Communionem accedit. (Ball. P. n. 61) Qui vero habet occasionem proximam removendam, ut contingit civiliter tantum nuptis, concubinam aperte alentibus, munus prohibitum exercentibus, etc., eam remove debet antequam communicet, nisi forte occulte communicare velit vel alia ratione scandalum fidelium praecaveri possit. (S. Alph. n. 47)

**QUAER.** Num licet ministro conferre sacramentum indigno, ob metum mortis vel alius mali moraliter aequivalentis.

**RESP** 1º Id certe non liceret si in contemptum religionis peteretur.

2º Extra hunc casum, disputatur. Alii (S. Alph. n. 49 ; Lehm II. n. 43) negant : quia sacramenta indignis ministrare licet tantum ad vitanda communia damna ex eorum denegatione secutura : quae hic minime timenda sunt. Alii (Ball. P. n. 57 ; D'Annib. III. n. 264) probabilius affirmant : quia ad conferenda sacramenta indignis videtur sufficere haec ratio ut eorum famae pareatur : quod autem licet ad servandam famam alterius sontis, a fortiori licet ad servandam vitam ministri innocentis. Supponitur tamen deesse medium evadendi periculi per simulationem licitam, juxta dicenda n. 124.

**123. III.** **Peccatori occulto** occulte petenti denegandum est sacramentum ut patet e generali principio supra (I) posito. Excipe tamen casum quo indignitas e sola sacramentali confessione ministro inno-



tuerit. (n. 392) Censetur autem *occulte petere* quotiens ea sunt petitionis adjuncta ut nullum sit infamiae vel scandali periculum, ex. gr. quia nemo adest praeter ministrum, quia adstant tantum aliqui pueruli nihil intellecturi, quia peccatum petentis jam notum est adstantibus. (S. Alph. n. 44)

IV. Peccatori occulto publice petenti denegari nequit sacramentum. (S. Th. 3. q. 80. a. 6) Ratio desumitur tum e fama peccatoris occulti, quae ei auferri nequit ob delictum occultum, tum praesertim e communibus damnis cum denegatione conexas: siquidem fideles, timentes ne sibi ob delictum occultum publice denegarentur sacramenta, ab iis removerentur.

Id tamen non est extendendum ad casum quo peccator occultus vellet sacramentum, praesertim Eucharistiam, sumere ad illud positive inhonorandum et significandum contemptum per illam indignam susceptionem: tunc enim videtur repellendus etiam cum infamia, tamquam injustus aggressor honoris sacramento debiti, perinde ac si Eucharistiam peteret ad eam pedibus conculcandam. (Lugo, l. c. 179)

124. **QUAER.** Num liceat *simulare* administrationem sacramentorum, ne haec conferantur indignis.

**RESP.** Distinguunt multi inter simulationem *formalem* et *materialem*, utriusque discrimen in eo ponentes quod in priore *intendatur*, in posteriore *permittatur* tantum deceptio suscipientis. Sed ad praxim magis accommodata videtur distinctio inter simulationem *proprie* et *improprie dictam*. Prior fit ab eo qui formam materiae applicat, sed sine intentione requisita ad conficiendum sacramentum; posterior ab eo qui materiae et formae substituit aliquid quod earum speciem referat, ex. gr. benedictionem absolutioni sacramentali. (Ball. P. n. 63) Jamvero:

1<sup>o</sup> Simulatio *proprie* dicta semper est sacrilega. De hac procedit prop. 29<sup>a</sup> damn. ab Innoc. XI: "Urgens metus gravis est causa justa sacramenti administrationem simulandi."

2<sup>o</sup> Simulatio *improprie* dicta non est sacrilega: nam, deficiente materia et forma, non infertur injuria ritui sacramentali. Saepe tamen graviter illicita erit *ob* deceptionem suscipientis in re summi momenti, vel ob aliud malum *cum* ea conexum. Hinc:

3<sup>o</sup> Numquam licet *hostiam* non consecratam pro consecrata, etiam consentienti *praeberere*, vel celebrare Missam non proferendo verba consecrationis: nam *in utroque* casu saltem externe adorabitur merus panis, quod semper *vetitum est* perinde atque externe adorare idolum. Aliter dicendum si *dissimulatur* tantum negatio sacramenti, nempe si sacerdos,

S. Communionem daturus, cum aliquo conveniret se acturum esse perinde ac si sacram hostiam ei daret, reapse tamen nihil ejus ori impositurus. Id liceret ad infamiam vel scandalum vitandum, quamvis raro expediat. (S. Alph. n. 61)

4<sup>o</sup> Licet confessario aliquam orationem et signum crucis proferre super indispositum, ne ejus indispositio prodatur. Probabile etiam censet S. Alph. (n. 59) posse proferri formam absolutionis, submissa voce interponendo *non vid. Ego te non absolvo* etc. Hoc ultimum tamen faciendum non videtur nisi cum prior modus non sufficeret ad metum vel incommodum vitandum: quod vix contingere potest.

5<sup>o</sup> Licet, ob gravem metum, celebrationem matrimonii simulare. Urgente enim tali metu, contractus, saltem ex Ecclesiae lege, invalidus est (n. 490); deficiente autem valido contractu, deest materia et forma hujus sacramenti (n. 455) ac proinde nulla fit proprie dicta simulatio. Immo etiam qui ita fingeret contrahere, a mendacio quoque immunis foret, si ex adjunctis intellegi posset eum tantum externe consentire ut a metu liberaretur. (S. Alph. n. 62)

### CAPUT III.

#### DE SUSCIPIENTE SACRAMENTUM.

##### § I. DE REQUISITIS AD VALOREM SACRAMENTI.

125. I. Ad valorem sacramenti in adultis ratione utentibus requiritur *intentio* percipiendi sacramentum, saltem *habitualis*, seu olim habita necdum retractata. (Vol. I. n. 10)

Dicitur *in adultis ratione utentibus*: nam parvuli et perpetuo amentes absque ulla dispositione recipere possunt sacramenta quorum sunt capaces, vid. baptismum, confirmationem, Eucharistiam et ordinem, ut constat e traditione quae nobis voluntatem Christi sacramenta instituentis manifestat. Id speciatim de ordine declaravit Bened. XIV. (Const. *Eo quamvis*, 4 Maii 1745) Quatenus haec sacramenta licite eis conferri possint, dicemus agentes de singulis.

Requiritur in adultis ratione utentibus *aliqua intentio* suscipiendi sacramentum: nam, sicut adultus non justificatur sine proprio consensu (Trid. Sess. 6. c. 7), ita nec per sacramentum initiatur et consecratur